



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De episcopis, qui apud Romanam sedem accusati fuerint quod cum  
excommunicatis communicarent. lxxviii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

vt iunior virgis cæsus, tanti criminis reus, nunquam officiū ecclesiasticum excipiat. Si verò iam ordinatus in hoc facinore fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate priuetur: cui sufficere potest pro actus sui leuitate, impleta pœnitentiæ satisfactione, sola communio.

*De illis qui de ministerio Ecclesiæ aliquid furati fuerint. Cap. LXV.*

Si aliquis de ministerio Ecclesiæ quolibet modo aliquid furatus fuerit, VII. annos pœniteat. *Ex pœnitentiæ Romano.*

*De monachis si de furto infamati fuerint, quomodo se expurgare debeant. Cap. LXVI.*

SAepe contingit, vt in monasteriis monachorum furta perpetrentur. Idcirco statuimus, vt quando ipsi fratres de talibus se expurgare debuerint, Missa ab abbate celebretur, vel ab aliquo præsentibus fratribus, & sic expleta Missa, omnes communicent in hæc verba: Corpus domini sit mihi ad probationem hodie. *Ex cõcil. Vorm. cap. 10.*

*De illis qui colonorum flagella defendunt. Caput LXVII.*

Decreuit sancta synodus, vt episcopus ac ministri episcoporum pro criminibus colonos flagellare cum virgis potestatem habeant, propter metum aliorum, vt ipsi criminosi corrigantur, vt vel inuiti pœnitentiam agant, ne æternaliter pereant. Si verò seniores ipsorum colonorum indigne tulerint, & aliquam vindictam exinde exercere voluerint, aut eosdem colonos ne distringantur defendere præsumpserint, sciant se excommunicationis ecclesiasticæ sententia feriendos. *Ex concil. Elibert. cap. 9.*

*De episcopis qui apud Romanam sedem accusati fuerant, quod cum excommunicatis communicarent. Caput LXVIII.*

Regno Cõradi piissimi & Christianissimi regis quinto, cõgregata est sancta generalis synodus apud Altheim in pago Rethia, præsentem videlicet domini Ioannis papæ apocrisario sanctæ Ortõsis Ecclesiæ Petro venerabili episcopo. Hoc quatenus aliquo modo diabolica semina in nostris partibus exorta extirpare, & nefandissimas *Ex cõcil. apud Altheim habito cui interfuit Couradus rex.*

D. BURCHARDI. EPIS. VVORMAC.

machinationes quorundam peruersorum hominum sedare, & eliminando purgare deberet. Transacto igitur triduo ieiunio, & sacris lithaniis more debito celebratis, conuenimus in Ecclesia sancti Ioannis Baptista, & moesti coe sedimus. Tum demum praefatus S. Petri, & domini Ioannis papae missus, proferens chartam apostolicis literis inscriptam qua monebamur, arguebamur, & instruebamur, de omnibus ad veram religionem Christianae fidei pertinentibus. Quae omnia, ut iustum & dignum erat, humiliter accepimus, diligenter tractauimus, & deuoto affectu omnimodo amplectebamur. Ergo euangelicam praerceptionem & institutionem saluberrimam lachrymabili voce protulimus, qua arguebantur Pharisei & Scribae: Mundate, inquit, prius quae intus sunt. Et item: Eijce primum trabem de oculo tuo. Ac propheticum illud: Ruina populi, sacerdotes mali. Perpendentes, & discutiendo nosmetipsos inspicientes, & in medium poenitentiae sanctae digno fructu ad terram nos proiicientes, defleuimus negligentias innumerabiles, & peccata nostra grauissima. Deinde hortatu domini Petri contra nosmetipsos, & vitia irati adiunxite primo sancto spiritu, & miserante, capitula infra notata, ad correctionem tam nostram, quam Christiani populi statuendo collegimus.

*De episcopis qui sibi electos seducunt communicantes cum excommunicatis. Cap. LXIX.*

*Ex eodem concilio, cap. 6.*

**S**Cimus sacra autoritate scriptum, qui excommunicato communicauerit, excommunicetur. In hoc nos fatemur episcopi, & presbyteri, & clerici poenaliter peccasse, quod in posterum Deo auxiliante, & emendare & emendari cupimus, & praecipimus.

*De eadem re. Caput LXX.*

*Ex eodem cap. 7.*

**P**lacuit sanctae synodo hunc errorem quasi impium ab Ecclesia amouere: quia animarum curam a domino accepimus, non pecuniarum. Inde & reddituri sumus Deo rationem, & accepturi propter suam misericordiam aeternam retributionem, vel iustam damnationem.

*De episcopis ut non sint malum exemplum populo.*

*Caput LXXI.*

*Ex eodem, cap. 8.*

**B**onum exemplum populis, seipsos episcopi vel sacerdotes debent praebere, & ostendere non solum dicitur